



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XLV. De jejunio naturali ad Communionem, & Missæ celebrationem
requisito.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

te cibus vetitis uti, existiment, te Papæ inimicus, ex hoc carni-
defecisse à fide &c. ferculo sumat, & comedat.

3. Limitant, nisi autoritate publica, aut privata provoceris ad vescendum hujusmodi cibus in contemptum Religionis veræ, ut si quis hæreticorum ad explorandam tuam fidem in hospitio, & eadem mensa die interdicto tibi dicat: Qui Evangelicus est, &

Ex his patet responsio ad 4. Q. videlicet non peccasse Nigronium, si in via eos cibos respuere non potuerit absque gravi suo incommodo, & damno. Secus ab eis abstinendum fuisse.

CASUS XLV.

De jejunio naturali ad Communionem & Missæ celebrationem requisito.

Blbax, cum in hospitio in seram usque noctem se detinuis-
set, altero die, cum manè communicare cogitat, incipit dubitare, an biberit adhuc ante, vel post medium noctis, & an dum os ablueret, modicum aquæ in Stomachum descenderit, quo tamen dubio contempto Sacræ mensæ accumbit, & communicat.

QUÆR. An qui certò scit, se comedisse, vel bibisse, sed dubitat, an id ante, vel post duodecimam noctis horam acciderit, possit sequenti die licitè Communicare, vel celebrare?

QUÆR. II. Et an, qui scit, se post medium noctis fuisse jejunum, sed dubitat, an postea aliquid de cibo, vel potu deglutiverit, & in Stomachum descenderit?

QUÆR. III. An, qui ad primum horæ duodecimæ pulsus non statim cessat à potatione, vel comestione, sed expectat, donec omnes ictus absolvantur, possit licitè die sequenti communicare?

Ad

253

AD I. Q. Supponendum hîc est, Sacram Eucharistiam per se, & regulariter loquendo, sumendam esse à jejuno, ut constat ex complurium Conciliorum Decretis apud Gonzal in *C. ex parte 5. h. tit.* & ex continua, atque ab Apostolis usque deducta consuetudine, cujus rationem reddit S. August. in *Epist. 118. ad Januar.* ubi, placuit, inquit, Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti prius in os Christiani corpus Dominicum intraret, quàm reliqui cibi. Est autem hîc sermo de jejuniō naturali, & perfecto, quod incipit à puncto mediæ noctis usque ad tempus, quo sumitur hoc Sacramentum; adeoque sumptionem hanc impedit sumptio cujusque rei, quæ cibi, potusve rationem habet, etiam minimæ, quæ per vitalem comedendi, bibendique actionem in Stomachum trajicitur: Ubi duo requirunt DD. 1. Ut talis res, quæ sumitur, saltem per accidens nutrire possit, vel nutritionem juvare, ut plures volunt contra alios. 2. Ut talis res ore sumatur ab extrinseco, & per se, ac propria actione vitali in Stomachum demittatur, Unde Suarez cum aliis pluribus *D. 68. Sect. 4.* generaliter asserit, per id, quod non provenit ab extrinseco, non frangi jejuniū naturale ad Communionem requisitum, adeoque non impedire Communionem, si quis reliquias ex cibo præcedentis diei dentibus implicitas, &

adhærentes deglutiât, vel sanguis, aut alius humor ex naribus, vel capite in Stomachum defluat, vel si casu, & præter intentionem guttula aquæ salivæ immixta, dum os abluis, trajiciatur, quia sic rejecta non demittitur in Stomachum tanquam cibus, vel potus, sed tanquam saliva, cui est immixta. His præmissis, ac suppositis.

Ad I. Q. Affirmativè respon- 254
dent Joan. Sancius in *select. D. 42. n. 1. & 9.* Dicastill. *tom. 1. de Sacram. tr. 4. à n. 282.* Laym. *l. 1. tr. 1. c. 5. §. 4.* Gobat. *tr. 4. n. 280.* Bardi *de conse. discept. 6. c. 11. p. 3. §. 2.* Burgh. *cent. 3. cas. 96.* Medin. & alii, quorum sententiam probabilem dicit Carden. *D. 26. n. 87.* & in praxi securam, ac tutam pronuntiat Diana *tr. 4. de Sacram. R. 29.* Rationem dant, quia homo habet jus, & quidem multò ante acquisitum, & libertatem communicandi, & Sacerdos celebrandi singulis diebus, quibus non est impedimentum: ergo ne hoc suo jure uti possit, impedimentum certum superveniat, necesse est, quia impedimentum dubium non sufficit ad deturbandum hominem à sua juris possessione, quæ ad celebrandum, vel communicandum certa præsupponitur. Accedit, quod, ut notat Laym. *l. c.* lex Ecclesiastica de jejuniō communicaturis servando non videatur tam arctè constringere conscientias in casu
Nn 2 dubio,

dubio, siquidem in ejusmodi casibus favorabilia præsumere licet, ne conscientia nimis adstringantur.

Conf. in dubio, an inceperit legis obligatio, non tenemur lege, quia melior est conditio possidentis suam libertatem ab obligatione, sicut cum dubitas, an 21. ætatis annum expleveris, non teneris jejunare: atqui communicaturus in tali casu dubitat, an inceperit tempus obligationis legis ad jejunium naturale: ergo &c.

Negativam sententiam, quod dubitans, an ante, vel post duodecimam noctis horam comederit, vel biberit, non possit licite die sequenti S. Eucharistiam sumere & communicare, tenent Thom. Sanch. l. 1. de matr. D. 41. n. 40. Lugo D. 15. Sect. 2. Tambur. de Comm. c. 2. n. 29. Fagund. l. 3. c. 5. n. 18. Villal. Salas, Ovied. Bonac. & alii communiter, teste Palao D. 3. p. 8. n. 9. ea ratione moti, quod in tali casu possessio non sit ex parte communicaturi, ut propterea in dubio ejus conditio sit potior, sed ex parte præcepti communicandi servatò jejunio naturali, quod communicaturus probare debet, siquidem unusquisque probare debet fundamentum suæ exigentiæ, aliàs succumbet juxta *L. ei, qui dicit. ff. de probat.* fundamentum autem exigentis Communionem, vel cele-

brationem est jejunium, quod proin probari debet.

Conf. Ex eo, quod dubitans de qualitate requisita ad aliquem actum, v. g. de legitima ætate ad Ordines, teneatur abstinere, nisi eam probare possit; qualitas enim non præsumitur, nisi probetur, ut bene probat Menoch. *Consil. 35. n. 31. & Consil. 1. n. 121.* ergo pariter communicaturus, vel celebraturus dubitans de jejunio ad Communionem, vel celebrationem requisito abstinere debebit, nisi jejunium probare possit, cum præceptum jejunè sumendi S. Eucharistiam sit hic in possessione, semperque per se obliget, nisi aliunde constet de licentia.

Ex duabus hisce sententiis, licet 255 prior affirmativa sit valde probabilis; posterior tamen negativa probabilior videtur; cum enim utraque titulum possessionis sibi vindicare allaboret, prior libertatis, posterior præcepti, videtur possessio potius stare pro præcepto prohibente comestionem ante Communionem, vel celebrationem, quam pro hominis libertate, ut dictum est alibi in libello de Confess. & Communionem p. 2. quia cum certò scias, te comedisse, vel bibisse, & dubites, an id acciderit post mediam noctem, possessio non est pro tua libertate, sed pro præcepto prohibente comestionem ante
Com-

Communionem, tibi que incumbit onus probandi, quod non comederis post medium noctis, sicut, quod est exemplum C. de Lug. si quis sciat, se vovisse, & dubitet, an ante, vel post septennium, tenetur voto, & onus probandi, quod fuerit ante septennium, incumbit voventi. Rursum si ego ex obligatione tibi nummum dare debeo singulis diebus totius anni, & hodie jam tibi nummum dedi; tu verò petis alterum, quando dubitatur, an sit jam altera dies, debes probare, jam finitum esse priorem diem, quia de solutione constat, sed non de die nova, quæ tibi dat jus ad aliam solutionem petendam.

Pari modo, si habes jus ad communicandum tantum semel singulis diebus, prout de facto habes, & hodie jam communicasti, postea dubites, an sit media nox, & an rursus communicare possis pro die altera, tibi incumbit onus probandi; quia de Communionem constat, sed non de inceptioe novæ diei, quæ dat tibi jus ad novam Communionem: ergo pariter, qui certus est de comestione, & dubitat de inceptioe novæ diei post comestionem, non poterit communicare; quia sicut solutio semel facta jus aufert ad exigendum iterum debitum eadem die, & sicut Communio tollit jus ad alteram Communionem eadem die; ita comestio facta aufert tibi

jus ad comunicandum eadem die, nisi probaveris novam diem incepisse post factam comestionem.

Unde colligi potest responsio ad rationem primam sententiæ oppositæ; negatur enim, quod homo habeat libertatem, & jus absolutum communicandi, nisi probata dignitate, & jejunijs tanquam qualitate requisita ad Communionem, quando scit, se comedis, & semel ea die communicasse; tunc enim ipse probare debet incepisse novam diem post comestionem.

Ad secundam R. Legem, seu præceptum jejune sumendi S. Eucharistiam, esse hic in possessione, ut modo dictum est, semperque obligare per se, & nisi aliunde constat de licentia, vel post comestionem factam probetur hic jejunium requisitum.

Ad 2. Q. An communicare, vel celebrare possit, qui scit post mediam noctem se fuisse jejunum, sed dubitat an postea aliquid de cibo, vel potu in stomachum descendit?

Negativam sententiam docent Th. Sanch. Oviedo, Salas, Fagund. Rodriq. aliique, qui ad dubium, & questionem præcedentem negativè responderunt, à quibus recedit C. de Lug. putans, &

probans, magnum esse discrimen inter illud, & hoc prælens dubium. Ratio negativæ sententiæ est; quia jejunium prærequiritur ut conditio ad participandum illud Dei beneficium: ergo qui vult illius particeps fieri, debet probare se habere conditionem requisitam; sicut in foro externo, qui vult frui beneficio, quod nobili conceditur, se nobilem probare debet.

Affirmativam sententiam, quòd inposito casu liceat communicare, vel celebrare, docet Lugo l.c. & à fortiori illi, qui cum Laym. Dicastill. Carden. Pasqual. &c. etiam in dubio præcedente affirmativam sunt amplexi. Ratio est, quia, qui ita dubitat, certus est, quòd fuerit jejunus post medium noctis, habetque jus certum semel communicandi pro illa die, nec tenetur positivè probare se esse idoneum, sed satis est, quòd sciat, se fuisse idoneum, & non sciat, se non esse amplius; nam sic manet in possessione suæ libertatis, & juris certi, quod habuit, donec ei contrarium probetur, & à sua possessione dejiciatur; ad eum modum, quo in foro externo condemnari debet ille, cui incumbit onus probandi, & adversa pars absolvi, si manente dubio deficiat probatio; atque adeò dum manet dubium, an talis comederit, nec ne, nihil probatur contra ipsum, ejusque jus certum,

quod priùs habebat, quodque non scit se amisisse, nec contrarium probatur; sicque absolvendus, & ad communionem admittendus erit.

Sententià hæc utique verè probabilis est, imò probabilior opòpositâ negativâ, ad cujus rationem in contrarium allatam respondere potest, dist. conseq. nisi sciat ante medium noctis se fuisse jejunum, & jus tunc habuisse ad Communionem, C. C. secus, n. c. nam tunc non debet ipse probare positivè qualitatem, & conditionem, quam scit se habuisse, sed sufficit, si se negativè habeat, quia tunc solùm paratus venit ad sui defensionem, manetque in possessione juris certi præhabiti, donec ab illa positivè ab adversario deturbetur.

Ad 3. Q. Complures rectè 257
cum Lug. l. c. Diana tr. 13. R. 54. Castro Palao tom. 1. tr. 2. D. 2. p. 7. Negativè respondent, quia jejunium naturale incipit à puncto mediæ noctis, quæ apud nos est hora duodecima; hora autem duodecima ad primum horalogii ictum jam completa est, & terminata, & jam incipit tempus sequentis horæ; nam ictus non ante incipiunt, quàm hora sit finita, & absoluta, quæ hora cum unico pulsû, seu ictu indicari non possit, ideo ictus multiplicantur, &
repe-

repetuntur usque ad duodecimum, inter quem proin, & primum ictum notabile in hac materia temporis spatium intercedit post horam duodecimam jam completam.

Non nulli tamen apud Dian. l. c. & cum & apud Leandrum rr. 7. D. 5. q. 7. docent non improbabiliter, ubi unicum est tantum horologium, cum duodecima noctis hora sonare incipit, non teneri eum, qui communicaturus est die sequenti, statim ad primum ictum desistere à cibo, vel potu, sed posse pergere, donec omnes pulsus absolvantur, eò, quòd signum horæ sit moraliter accipiendum,

non verò in rigore mathematico.

Quòd si plura sint horologia aliàs benè procedentia, & non constet de errore alicujus, potest quis cujuslibet etiam ultimi mensuram sequi, prout docent Lugo Th. Sanch. Dicastillo Dian. aliique, quia singula horologia, quamdiu non constat de errore, faciunt opinionem probabilem, quam quis licitè sequi potest; non tamen sunt horologia pro libitu varianda in fraudem legis, aut præjudicium tertii, ut notat, & probat Lugo variis exemplis,



CA-